



tuendum erit, nisi quod latitudo viae legitima, si naues bobus equisque vehuntur, omnino accipi potest <sup>8)</sup>.

Sed alueo mutato aut fluuio vi tempestatis, imbriumque et nivium multitudine, extra fines suos egresso, quid iuris sit quaeritur. Equidem si alueum plane mutauerit flumen puto vicinos novos salutis publicae gratia nunc semitam illam in agris praediisque suis recipere debere, vt tamen quam minimum detrimentum possessoribus inferatur, idemque verum erit si fluuius ripas inundauerit, donec ad fines suos regressus fuerit. Proxima enim flumini nauigabili terra seruit, ideoque seruitus haec prout exegerit necessitas proferenda erit. Quae quidem mota quaestione boni viri arbitrato regenda erunt.

Fructus riparum iure proprietatis dominis suis cedunt, efficitur inde vt nauicularii neque gramina secare, aut boues in vicino agro, prato ripaque ipsa pascere, neque ligna utilitatis lucrique faciendi causa caedere, arboribusque, vel agrorum fructibus vlllo modo nocere debeant, nisi hanc etiam impositam ripis seruitutem, vt boues per quos vehitur naus in vicino agro ripae pascantur, probent, quam seruitutem consuetudine vel pactione imponi posse nullus dubito <sup>9)</sup>. Innoxius autem arborum in ripis stantium vsus nautis concedendus erit ideoque licebit naues religare arboribus, aut quod fieri videmus in tenui aqua, qua naues onustae aegre vehuntur, vt funibus circa arborem datis ligatisque naus in flumine sursum versus trahatur manibus, quem laborem verbo nautico appellare solent melken, a similitudine puto mulgentium, et lac e mammis vberibusque animalium exprimentium. Facultas autem caedendarum arborum nautis plane dene-ganda est, nisi forte in flumen pendentes nauigationem impediunt, quo quidem casu potestatem remouendi impedimenta, datam esse puto, ita tamen vt ne sibi habeant ligna, sed domino cuius erat arbor relinquunt. Haec enim est naturalis et lege ciuili approbata iuris sui atque quasi possessionis tuitio.

Mos est, vt nautae in commodis stationibus pernoctantes mansionem faciant, nauigio ad arbores anchorasque religato, atque sub  
dio

<sup>8)</sup> L. 8. et 13. D. de seruitutibus praed. rustic.

<sup>9)</sup> L. 3. D. c. 1.